Q. F. F. S.

CAVSSAS SECESSIONI PONTIFICIO NOSTR SVPPEDITAT

ad celebrandam Solen

JVBILAEI SE AVGVSTA CONFESSI

ſtrictim exponi

ſimulqve

Muſarum Patronos

ad Orationes IV.

d. 3. Julii, clↄ Iↄ cc xxx. hora

In Auditorio inferiori

cianæ audien

humaniſſime & honorif

CHRISTIANVS SCHO

Cruciani Rector, Societatis Scientia

Collega.

DRESDÆ, Literis JO. GVIL.

1730

. s.

ONIS A COETV

STRO SECVLO

TATAS

Solennitatem

SECVNDI

TANÆ

SSIONIS

exponit,

lqve

onos ac Fautores

IV. feculares

x. hora II. pomeridiana

riori Scholæ Cru-

udiendas

honorifice invitat

CHOETTGENIVS,

Scientiarum Regiæ Borusficæ

llega.

, GVIL. HARPETERI.

792



Caussæ secessionis a cœtu Pontificio, hoc nostro seculo suppeditatæ.

§. I.

PEr immensam, qva supremum Numen nos exhilarat, clementiam Jubilæum Augustanæ Confessionis celebramus, qvicqvid alii hac in parte de nobis judicent. Nulla enim hic superstitio, non commodum aliqvod externum locum habet. Sed ad gloriam Dei sanctissimi, qvi in sanctis suis mirabilis est, totum hoc negotium suscipitur. Et qvemadmodum in Ecclesiis nostris dies festos Mariæ Virginis, Joannis, Petri, Pauli, aliorumqve Sanctorum celebramus, ut Deo gratias agamus pro beneficiis Ecclesiæ per ipsos præstitis, sic idem qvoqve hoc tempore usu venit. Deus pios & sinceros veritatis Evangelicæ Confessores ducentis abhinc annis magnis gratiæ suæ donis instruxit, fidelitate & constantia eosdem donavit, ut neqve minis, neqve promissionibus a proposito tam sancto dimoveri potuerint. Conciones Evangelii non omiserunt, processioni Corporis Christi non interfuerunt, contra vero confessionem veritatis intrepide protulerunt.

Qvapropter merito divinam bonitatem celebramus, utpote qvæ doctrinam hanc cælestem ex tenebris emicantem jam ultra ducentos annos in tanta persecutionum, insidiarum & periculorum multitudine sartam atqve tectam clementissime conservavit.

§. II.

Vt igitur hac occasione qvisqve materiam scribendi huic negotio convenientem eligit, sic ego hac vice Trigam hujusmodi caussarum proponam, qvibus Ecclesia hoc ipso seculo permota secessionem a cœtu Romano-Pontificio fecisset, nisi illa jam ante ducentos annos, & qvod excurrit, suscepta fuisset. Qvælibet harum tantam dicendorum copiam subministrat, ut justi voluminis molem æqvare possit, ego autem intra scriptionis invitatoriæ cancellos me continebo.

§. III.

Prima igitur harum causarum est, qvod Pontifex Romanus in negotio Qvesnelliano verbum divinum prorsus neglexit, & assertiones in eosdem clarissime contentas condemnavit. Neqve hac in parte sedes Romana primum peccavit. Jam enim in Concilio Tridentino Christum ipsum, Servatorem nostrum, anathemate percussit, fulmen contra illos vibrans, qvi assererent, idem esse baptisma Joannis & Christi. Atqvi vero hoc ipsum Christus tradidit, prout Jo. Meinecus singulari libello in hanc rem edito comprobavit. (a) Et hoc qvidem aliqva ex parte condonandum Pontificiis videri posset, (qvanquam contra verbum divinum non temere qvidqvam asserendum est) qvia res ipsa non iisdem verbis in Scriptura Sacra legitur, sed tantum per conseqventiam ex eadem elicitur. Qvæ vero in bulla sive mandato contra Qvesnellum edito leguntur, nullo plane colore, vel longissime qvæsito, defendi possunt. Veritates enim divinas vocat *fallacem doctrinam*, *noxia zizaniorum semina*, *gra-*

(a) Jo. Meineci, Eccl.Ramboënsis Pastoris, Christus a Tridentino Concilio excommunicatus. Rostoch. 1709. 4.

gravissimos tum pridem damnatos, tum etiam nove adinventos errores, propositiones falsas, captiosas, male sonantes, piarum aurium offensivas, scandalosas, perniciosas, temerarias, Ecclesiæ & ejus praxi injuriosas, neque in Ecclesiam solum, sed etiam in potestates seculi contumeliosas, seditiosas, impias, blasphemas, suspectas de hæresi, ac hæresin ipsam sapientes, nec non hæreticis & hæresibus, ac etiam schismati faventes, erroneas, hæresi proximas, pluries damnatas, ac demum etiam hæreticas, variasque hæreses, & potissimum illas, quæ in famosis Jansenii propositionibus continentur, manifesto innovantes.

§. IV.

Sed audiamus hæretica qvædam Qvesnellii dogmata. Secundo loco hoc habetur: *JEsu Christi gratia, principium efficax boni cujuscunqve generis, necessaria est ad omne opus bonum; absqve illa non solum nihil fit, sed nec fieri potest.* Nona hæc est: *Gratia Christi est gratia suprema, sine qva confiteri Christum nunqvam possumus, & cum qva nunqvam illum abnegamus.* Novum crimen, Caje Cæsar. Hæreticum est, Deo omnem actionum Christianarum originem tribuere? Hæreticum est, gratiæ divinæ motus omnes bonos acceptos referre? Atqvi hoc fecit Paullus Apostolus, divino Spiritu collustratus. Fecit S. Augustinus, gratiæ divinæ præco luculentissimus. Hos hæresiarchas & nos seqvimur, impium esse pronunciantes, a divinis eloqviis vel latum ungvem discedere. Articulus L. Qvesnellianus sic habet: *Frustra clamamus ad Deum, Pater mi; Si Spiritus charitatis non est ille, qvi clamat.* Hic rursum hæreticus est Divus Paullus Apostolus, qvi hoc ipsum duobus locis inculcat. Deniqve Propositio LXXIII. testis citetur: *Qvid est Ecclesia, nisi cœtus filiorum Dei, manentium in ejus sinu, adoptatorum in Christo, subsistentium in ejus persona, redemptorum ejus sangvine, viventium ejus Spiritu, agentium per ejus gratiam, & expectantium gratiam futuri seculi?* Nimirum Ecclesia potius describi debebat tanqvam cœtus magnus visibilis, potentiam habens,

& pompa insigni conspicuus, qvalem Christus nunqvam agnovit. Sed sufficiant hæc exempla, luculenta satis, ad demonstrandum, qvod jam volumus. Plura docuerunt huc usqve Theologi nostri, qvi occasione hujus controversiæ in publicum prodire non omiserunt.

§. V.

Quod vero venenum periculosissimum vocat Romanus Pontifex, doctrinæ cœlestes sunt, prout unicuique, qui sacras litteras cum cura evolvit, planum est & apertum. Pontificiorum autem doctrina Pelagianismum exhibet, qui viribus hominis naturalibus plurimum tribuit, gratiam vero divinam de solio dejicit. Hoc ipso vero ausu cœtus Romano-Pontificius parum certe lucratus, imo damnum cum ludibrio conjunctum expertus est. Qvum enim pro more conscientiis imperare, & contra sentientes vi aperta ad suam sententiam adigere vellet, multi constantes fuerunt, a dignitatibus suis amplissimis se removeri passi sunt, submissione & modestia summa exemplum aliis dederunt, veritati testimonium præbuerunt, hostes vero pudore suffuderunt. Alii, consilium Prophetæ secuti, ex Babel egressi sunt, id quod mulierculæ quoque fecerunt, quæ monesteria, conscientiarum ergastula, reliquerunt, ut & animæ & corporis libertatem acquirerent. Postquam igitur omnia tentarunt, & parum profecerunt, nunc in Galliis auctoritate & potestate Regis abutuntur: Sed experientia docebit, ne sic qvidem rebus ipsorum bene consuli. Gratia Dei, contra qvam insurgunt, etiam in infirmitate robur suum exserit, seque a callidis hominibus vinci nunquam patietur.

§. VI.

Hoc ipsum enim oculos Ecclesiæ aperit, ut hinc & inde quidam rem pensitare, & errores satis crassos agnoscere incipiant. Sunt, qvi, qvæ mente habent recondita, verbis exsertis profiteantur, paucissimi hoc sunt animi robore, ut sententiam suam publice proferant, sed testes sunt veritatis, nulli, nisi Deo ipsi, cogniti, & membra Ecclesiæ

clefiæ veræ, qvam oculis uſurpare nemo poteſt. Quod ſi vero hæc, & alia plura, conjunctim penſites, ſane cauſſas ſufficientes præberent, reformationis alicujus, ſi nondum ſuſcepta fuiſſet, inſtituendæ. Imo nemo jam novit, qvantum vulnus controverſiæ Janſeniſticæ & Qvesnellianæ cœtui Romano poſt aliqvod tempus posſint infligere. Sane huc usque nihil reſiſtentia ſua lucratus eſt, multumque ſplendoris, quo adhuc gaviſus erat, amiſit.

II.

§. VII.

Alterum, quod jam conſiderandum ſumſi, eſt, quod Benedictus XIII. Pontifex, nuper admodum fato functus, Gregorium VII. hominem impium, qui jura omnia divina & humana contemſit, magiſtratumque pedibus conculcavit, in Divorum numerum, ex more Romanenſium, recepit, & Officium, quod vocant, peculiare honori ipſius inſtituit. Quod ſi vero hiſtoriarum monumenta pervolvimus, multi Pontificiorum, qui Gregorii temporibus vixerunt, egregium ipſi teſtimonium non perhibent, ex verbo quippe divino edocti, magiſtratum eſſe inſtitutionis divinæ. Ex his multi erant Epiſcopi, quos credibile erat, magis cum Pontifice, quam Imperatore feciſſe. Verum divinæ veritati apud ſe locum relinqvebant, adeoque Cæſari voce & ſcriptis ſuppetias egregie tulerunt. Quod ſi aſſentatores curiæ Romanæ opponerent, illos non fuiſſe vera Eccleſiæ Catholicæ, ut vocari volunt, membra, reſpondeo, idem tenendum de hodiernis in Gallia Epiſcopis, qui tamen Conſtitutionem Anti-Qvesnellianam receperunt, hi, quia feſe hac in parte Pontifici oppoſuerunt, membra cœtus Romani haberi non debent. Faciant modo Romanenſes periculum, ipſosque hæreticos proclament, tum ſane res ipſa docebit, qvantum hac ſua violentia proficere qveant.

§. VIII.

Hic enim, de Gallia loqvor, auctoritas Pontificis Maximi nimium

mium qvantum vacillat. Triga etenim Episcoporum, Altissiodorensis, Metensis & Monspeliensis, mandatis ad Clericos suarum diœceseon editis, Officium, quod supra memoravimus, celebrari plane prohibuerunt. Edicta Triumvirorum modo dictorum prudentiam sapiunt Theologicam, & præstantissima sunt; nos vero primum, quod sane multam attentionem meretur, brevibus recensebimus. *Deum*, ait, *Ecclesiæ magnam quidem potestatem concessisse, illam tamen ad res civiles extentendam esse neutiquam. Christum mandasse, ut Cæsari redderentur, quæ sunt Cæsaris. Apostolos admonuisse, ut quisque magistratui obediret, & Imperatores, qui gentilium religionem secutati sunt, meliores nullos habuisse subditos, quam Christianos. Idem non solum ex Patribus Ecclesiæ primitivæ, Tertullianum, Augustinum, & Hosium* (forte Cordubensem intelligit) *sed & ex Pontificibus Romanis Gelasium, Gregorium III. & Nicolaum I. statuisse. Optandum esse, ut hæc doctrina eodem semper splendore gavisa sit, variorum vero Pontificum decretis & gestis eam valde obscuratam esse. Primum eorum fuisse Gregorium VII. cujus mentionem non, nisi cum tædio, a se injici. Optandum esse, ut successores ejus placita neque approbarent, neqve renovarent, nuperrime autem folium in forma officii, qvod vocant, Ecclesiastici typis expressum, in honorem Gregorii VII. in vulgus editum esse: quod, quoniam auctoritate nulla munitum, procul omni dubio ab assentatore qvodam aulæ Pontificiæ profectum sit. Gregorium VII. in numero sanctorum haberi posse neutiquam, qvia Romæ talia suscepta non fuerunt, qvæ alias in apotheosi observantur, gesta vero illius parum sanctitatis continent. Pessimum omnium sibi hoc videri, quod refractarius Gregorii contra Cæsarem animus laudetur, & operatio Spiritus Sancti statuatur. Jam vero regni Galliæ multum interesse, ut divina Regum auctoritas conservetur: Se igitur serio omnibus interdicere, ne quis officium illud supra dictum recitet.* Hæc ille. Reliquorum duorum mandata, brevitati quippe studentes, non tangimus.

§. IX.

§. IX.

Teſtimoniis horum Epiſcoporum addimus aliud Viri, qui non inter Clericos ſed Laicos locum habet, Illuſtriſſimi ſcilicet Comitis Harrachii, qui Potentiſſimi Romanorum Imperatoris in regno Neapolitano vices ſuſtinet. Is nuper admodum menſe Martio litteris publicis huic negotio contradixit, inter alia his verbis uſus: *Notum eſt, verba Pontificis plena eſſe vaſtis illis cogitationibus, quæ ſedem Romanam adegerunt, ut periculum faceret, an ſupremum jus in omnes Principes ſtabilire, eosque juſſis ſuis in omnibus, ipſa quoque terrarum ſuarum poſſeſſione, ſubmittere poſſet: ita quidem, ut ſibi jus tribueret Reges regnis ſuis exuendi, & de iisdem pro lubitu ſtatuendi. Quæ ſane opinio abſurda, injuſta, & inſtitutioni Pontificatus adverſa eſt: indubium enim eſt, quod Eccleſia jus aliud nullum habeat, quam quod Jeſus Chriſtus, auctor ipſius, ipſi contulit* &c. Nolo prolixior eſſe adducendis illis, quæ Pontifices in Jure Canonico de auctoritate Reges conſtituendi & exauctorandi proferunt, & quæ a partibus ipſorum Pontificiorum, inter alia ab ipſo Divo Bernardo in hanc rem dicta, quia ſuppono, hæc neque a Theologis, neque Jure Conſultis noſtris ignorari.

§. X.

Quodſi vero futurus Pontifex, quisquis ille fuerit, deceſſoris ſui veſtigia calcaturus eſſet, credibile eſt, non Reges ſolum & Principes, ſed ipſos etiam illorum ſubditos, ſequius quid de Pontifice ſenſuros, & fortaſſis ipſam ejus auctoritatem in dubium vocaturos. Quod enim juris divini eſt, tum a natura nobis cogniti, tum in ſacro Codice revelati, magiſtratum innuo ejusque auctoritatem, hoc omne parum penſi habent, modo auctoritatem ſuam nullis fundamentis ſubnixam quocunque modo tueantur. Imo

mium qvantum vacillat. Triga etenim Epiſcoporum, Altisſiodorenſis, Metenſis & Monſpelienſis, mandatis ad Clericos ſuarum diœceſeon editis, Officium, quod ſupra memoravimus, celebrari plane prohibuerunt. Edicta Triumvirorum modo dictorum prudentiam ſapiunt Theologicam, & præſtantisſima ſunt: nos vero primum, quod ſane multam attentionem meretur, brevibus recenſebimus. *Deum*, ait, *Eccleſiæ magnam quidem poteſtatem concesſiſſe, illam tamen ad res civiles extentendam eſſe neutiquam. Chriſtum mandaſſe, ut Cæſari redderentur, quæ ſunt Cæſaris. Apoſtolos admonuiſſe, ut quisque magiſtratui obediret, & Imperatores, qui gentilium religionem ſectati ſunt, meliores nullos habuiſſe ſubditos, quam Chriſtianos. Idem non ſolum ex Patribus Eccleſiæ primitivæ, Tertullianum, Auguſtinum, & Hoſium* (forte Cordubenſem intelligit) *ſed & ex Pontificibus Romanis Gelaſium, Gregorium III. & Nicolaum I. ſtatuiſſe. Optandum eſſe, ut hæc doctrina eodem ſemper ſplendore gaviſa ſit, variorum vero Pontificum decretis & geſtis eam valde obſcuratam eſſe. Primum eorum fuiſſe Gregorium VII. cujus mentionem non, niſi cum tædio, a ſe injici. Optandum eſſe, ut ſucceſſores ejus placita neque approbarent, neqve renovarent, nuperrime autem folium in forma officii, qvod vocant, Eccleſiaſtici typis expreſſum, in honorem Gregorii VII. in vulgus editum eſſe: qvod, qvoniam auctoritate nulla munitum, procul omni dubio ab aſſentatore qvodam aulæ Pontificiæ profectum ſit. Gregorium VII. in numero ſanctorum haberi poſſe neutiquam, qvia Romæ talia ſuſcepta non fuerunt, qvæ alias in apotheoſi obſervantur, geſta vero illius parum ſanctitatis continent. Peſſimum omnium ſibi hoc videri, quod refractarius Gregorii contra Cæſarem animus laudetur, & operatio Spiritus Sancti ſtatuatur. Jam vero regni Galliæ multum intereſſe, ut divina Regum auctoritas conſervetur: Se igitur ſerio omnibus interdicere, ne quis officium illud ſupra dictum recitet.* Hæc ille. Reliquorum duorum mandata, brevitati quippe ſtudentes, non tangimus.

§. IX.

§. IX.

Teſtimoniis horum Epiſcoporum addimus aliud Viri, qui non inter Clericos ſed Laicos locum habet, Illuſtriſſimi ſcilicet Comitis Harrachii, qui Potentiſſimi Romanorum Imperatoris in regno Neapolitano vices ſuſtinet. Is nuper admodum menſe Martio litteris publicis huic negotio contradixit, inter alia his verbis uſus: *Notum eſt, verba Pontificis plena eſſe vaſtis illis cogitationibus, quæ ſedem Romanam adegerunt, ut periculum faceret, an ſupremum jus in omnes Principes ſtabilire, eosque juſſis ſuis in omnibus, ipſa quoque terrarum ſuarum poſſeſſione, ſubmittere poſſet: ita quidem, ut ſibi jus tribueret Reges regnis ſuis exuendi, & de iisdem pro lubitu ſtatuendi. Quæ ſane opinio abſurda, injuſta, & inſtitutioni Pontificatus adverſa eſt: indubium enim eſt, quod Eccleſia jus aliud nullum babeat, quam quod Jeſus Chriſtus, auctor ipſius, ipſi contulit* &c. Nolo prolixior eſſe adducendis illis, quæ Pontifices in Jure Canonico de auctoritate Reges conſtituendi & exauctorandi proferunt, & quæ a partibus ipſorum Pontificiorum, inter alia ab ipſo Divo Bernardo in hanc rem dicta, quia ſuppono, hæc neque a Theologis, neque Jure Conſultis noſtris ignorari.

§. X.

Quodſi vero futurus Pontifex, quisquis ille fuerit, deceſſoris ſui veſtigia calcaturus eſſet, credibile eſt, non Reges ſolum & Principes, ſed ipſos etiam illorum ſubditos, ſequius quid de Pontifice ſenſuros, & fortaſſis ipſam ejus auctoritatem in dubium vocaturos. Quod enim juris divini eſt, tum a natura nobis cogniti, tum in ſacro Codice revelati, magiſtratum innuo ejusque auctoritatem, hoc omne parum penſi habent, modo auctoritatem ſuam nullis fundamentis ſubnixam quocunque modo tueantur. Imo

firmiter persuasus sum, varia hanc in rem a viris summis consilia iniri, quæ non, nisi Deo pro sua sapientia rem gubernante, ad maturitatem pervenient. Ecclesia diu satis parturiit illam reformationem, quæ duobus abhinc seculis contigit: parturiet aliquando illam revolutionem, qva dominium Pontificis prorsus subruetur. Ferdinandus Imperator gloriosissimus, duo sibi in Confessione Evangelicorum placuisse dixit, alterum, quod Christo ejusque merito plurimum deferant, alterum, quod de magistratu & illius auctoritate recte sentiant. (b) Patet exinde, non omnia Pontificiorum placita Principibus aliisque, quos Laicos vocant, probari, & ratio sufficiens hæc sola esse poterit, quod se alii quoque ab obedientia sedi Romanæ exhibenda subtrahere possint.

III.

§. XI.

Superest tertium, quod jam brevibus pertractandum proposui, nimirum, technas illas, fraudes, & artes politicas, quæ in electione Pontificum observantur, multis occasionem suppeditare posse, ut falsitatem religionis Pontificiæ, quæ tamen summo Pontifice tantum innixa est, agnoscant. Ex religionis suæ placitis Vicarium aliqvem Christi visibilem statuunt, cujus electio Patribus purpuratis permittitur. In tanto negotio semotis omnibus affectibus & partium studio se gerere debebant illi, in quorum personis cardo rei christianæ verti creditur. Celebrant missam de Spiritu Sancto, cujus gratiam & auxilium per Canonicos Vaticanos quotidie implorant. Adhortantur semet invicem, ut sine privato cujusqvam commodo, aut vel favoris vel odii respectu in negotio tam arduo

(b) Theologi Saxonici in præfatione der Haupt-Vertheidigung des Evangelischen Aug-Apfels p. 59. 60.

arduo verſentur. Imo qvendam eligendi modum *per inſpirationem* appellant, ut ſic aliis perſvadeant, divinitus quosdam ad hunc vel alterum eligendum inſpirari, ad quos deinde reliqvi accedere ſolent.

§. XII.

Verum illa religio & pietas, qvam electioni prætexunt, in verbis tantum conſiſtit, res ipſa parum reſpondet. Primum varia requiruntur ad futurum Pontificem, non eruditio, prudentia, vitæ innocentia & ſanctitas, utpote quæ commode abeſſe poſſe creduntur: ſed potius, ut qvis vel nullis ſe huc usque rebus politicis immiſcuerit, vel ſaltem ita ſe geſſerit, ut nullus Principum Romanenſium religioni addictorum juſtam de eo conqverendi cauſſam habeat. Deinde, ut ſit natione Italus, qvum reliqvæ nationes ad hoc ipſum non ſatis aptæ, noſtris qvidem temporibus, habeantur. Alia, quæ in libellis etiam vulgatis exſtant, prætereo. Porro non poſſunt eligere Purpurati, niſi prius ab aulis Principum ſummorum inſpirentur. Hinc tam diu ſæpius exſpectare coguntur, donec ſciant, qvid de favore illarum tenendum ſit. Imo vir probus, honeſtus, prudens, virtute præditus, & pius, (qvantum ſcilicet in tales homines pietas cadere poteſt) ab una aularum nonnunqvam excluditur, & navicula Petri ejus fidei concreditur, qvi pietate, prudentia & virtute longe eſt inferior. Interea dum hæc fiunt, populus Romanus, & multi qvoqve peregrini, qvi eo confluunt, non ſolum accurate in hæc negotia inqvirit, ſed & acerrime de iisdem judicat. Sic, ut Pasqvinus & ſocius ejus Marphorius, qvotidie ſermones de iis miſceant, &, qvæ ſic geruntur, non ſale, ſed pipere, & ſi quid acerbius eſt, perfricent.

firmiter persuasus sum, varia hanc in rem a viris summis consilia iniri, quæ non, nisi Deo pro sua sapientia rem gubernante, ad maturitatem pervenient. Ecclesia diu satis parturiit illam reformationem, quæ duobus abhinc seculis contigit: parturiet aliquando illam revolutionem, qva dominium Pontificis prorsus subruetur. Ferdinandus Imperator gloriosissimus, duo sibi in Confessione Evangelicorum placuisse dixit, alterum, quod Christo ejusque merito plurimum deferant, alterum, quod de magistratu & illius auctoritate recte sentiant. (b) Patet exinde, non omnia Pontificiorum placita Principibus aliisque, quos Laicos vocant, probari, & ratio sufficiens hæc sola esse poterit, quod se alii quoque ab obedientia sedi Romanæ exhibenda subtrahere possint.

III.

§. XI.

Superest tertium, quod jam brevibus pertractandum proposui, nimirum, technas illas, fraudes, & artes politicas, quæ in electione Pontificum observantur, multis occasionem suppeditare posse, ut falsitatem religionis Pontificiæ, quæ tamen summo Pontifice tantum innixa est, agnoscant. Ex religionis suæ placitis Vicarium aliqvem Christi visibilem statuunt, cujus electio Patribus purpuratis permittitur. In tanto negotio semotis omnibus affectibus & partium studio se gerere debebant illi, in quorum personis cardo rei christianæ verti creditur. Celebrant missam de Spiritu Sancto, cujus gratiam & auxilium per Canonicos Vaticanos quotidie implorant. Adhortantur semet invicem, ut sine privato cujusqvam commodo, aut vel favoris vel odii respectu in negotio tam arduo

(b) Theologi Saxonici in præfatione der Haupt-Vertheidigung des Evangelischen Aug-Apfels p. 59. 60.

arduo verſentur. Imo qvendam eligendi modum *per inſpirationem* appellant, ut ſic aliis perſvadeant, divinitus quosdam ad hunc vel alterum eligendum inſpirari, ad quos deinde reliqvi accedere ſolent.

§. XII.

Verum illa religio & pietas, qvam electioni prætexunt, in verbis tantum conſiſtit, res ipſa parum reſpondet. Primum varia requiruntur ad futurum Pontificem, non eruditio, prudentia, vitæ innocentia & ſanctitas, utpote quæ commode abeſſe poſſe creduntur: ſed potius, ut qvis vel nullis ſe huc usque rebus politicis immiſcuerit, vel ſaltem ita ſe geſſerit, ut nullus Principum Romanenſium religioni addictorum juſtam de eo conqverendi cauſſam habeat. Deinde, ut ſit natione Italus, qvum reliqvæ nationes ad hoc ipſum non ſatis aptæ, noſtris qvidem temporibus, habeantur. Alia, quæ in libellis etiam vulgatis exſtant, prætereo. Porro non poſſunt eligere Purpurati, niſi prius ab aulis Principum ſummorum inſpirentur. Hinc tam diu ſæpius exſpectare coguntur, donec ſciant, qvid de favore illarum tenendum ſit. Imo vir probus, honeſtus, prudens, virtute præditus, & pius, (qvantum ſcilicet in tales homines pietas cadere poteſt) ab una aularum nonnunqvam excluditur, & navicula Petri ejus fidei concreditur, qvi pietate, prudentia & virtute longe eſt inferior. Interea dum hæc fiunt, populus Romanus, & multi qvoqve peregrini, qvi eo confluunt, non ſolum accurate in hæc negotia inqvirit, ſed & acerrime de iisdem judicat. Sic, ut Pasqvinus & ſocius ejus Marphorius, qvotidie ſermones de iis miſceant, &, qvæ ſic geruntur, non ſale, ſed pipere, & ſi quid acerbius eſt, perfricent.

§. XIII.

Præcipuum vero, qvod viris intelligentibus sæpissime bilem movet, est, quod ipsi Patres purpurati in partes diversas abeant, non salutem Ecclesiæ suæ aut gloriam divinam, sed qvidvis aliud potius, respicientes. Qvidam a partibus stant Imperatoris, alii Regum Galliæ, Hispaniæ, Lusitaniæ, Sardiniæ. Hic mireris plaustra technarum, dolorum, fraudum, artium, & consiliorum, quibus semet invicem circumvenire student. Qvi mihi non credit, is evolvat *Historiam Conclavium*, sermone Gallico editam, & aliqvoties typis excusam. Inveniet ibi, Cardinales se invicem in Conclavi adire, in partes scindi, consilia aliorum explorare, & in suam rem vertere, simulare & dissimulare, nonnunqvam astu, aliqvando vi agere. Vnde evenit, ut suffragia plurimorum plerumqve non sint libera, sed vel festinatione, vel timore occupatorum. Qvorsum vero hæc omnia? Ut singuli aulæ suæ, qvam colunt, placeant, ut voluntati & studio suo satisfaciant, non vero ut Christo, Pontifici summo, placeant.

§. XIV.

Qvid vero de his rebus judicant, qvibus Deus facultatem de rebus ex vero judicandi largitus est? Sane primum omnium profanos homines horrent, qvi Spiritum Sanctum, Numen æternum, fraudibus suis prætexentes, in re tam ardua, tantam levitatem ostendunt. Non possunt satis mirari, cardines orbis christiani in eligendo Christi vicario, ut plurimum non religionem, non conscientiam, non rationem, non famam, in consilium vocare, sed omnia negligere. Certe sapientia hæc non cœlestis est, sed terram, & si qvid infra eam est, spirans. Famam certe vir honestus nunqvam ita neglexit, ut malit in aliorum invidiam incidere, qvam ab iisdem laudibus debitis exornari. Sed hic parum pensi habent, qvid homines

fecun-

secundum placita sacrarum scripturarum, & rationis sanioris de se judicent. Technæ, & artes illæ, qvas Machiavellisticas vulgo vocant, non in laude, sed in vitiis ponuntur. Vt brevibus me expediam, electores Pontificis Romani satis luculenter ostendunt, se ex calice meretricis Babylonicæ inebriatos esse, hinc pleriqve ne de mundano qvidem honore cogitant. Viliores homines, si jus suffragiorum habent, non facile patiuntur, illud sibi eripi: sed tanti viri, qvi videri volunt, aliorum hac in parte ludibriis se exponunt.

§. XV.

Interim nemo non hæc videt, audit, miratur, ridet, deflet. Populus Romanus hac in parte testis est exceptione major. Qvamdiu Cardinales in electione Pontificis occupantur, omnes ridens, eosqve Satyris qvam plurimis exagitant. Qvam primum vero Pontifex creatus est, tum illum omnes vicarium Dei & Christi venerantur: non autem cultu vero & reverentia, qvæ tanto viro convenit, sed qvia sic fert consvetudo. Neqve fieri potest, ut qvis eum vere talem habeat, qvem antea sannis & dicteriis excepit. Hinc igitur ex una parte oritur profana mens, qvæ divina & humana omnia parum curat, & insanabilis ille Romanæ Ecclesiæ Scepticismus: ex altera vero agnitio veritatis, dum primo de tota re dubitant, porro circumspiciunt, deniqve ad ipsam veritatem propius accedunt. Et hæc veritas in mentibus summorum Regum & Principum tantas huc usqve radices egit, ut secula illa sperare, vel timere potius, minime debeamus, qvibus fulmina Vaticana timorem illis injectura sint. Imo potius hoc ipsum seculum exempla ostendit, qvæ satis comprobant, nihili habitas esse iras Pontificis, & hunc in negotiis difficilioribus pacata potius, qvam violenta consilia sectari necesse habuisse.

§. XVI.

Et hæc qvidem brevibus de materia, qvam mihi tractandam proposui. Qvæ si non ad cujusqve legentis palatum erit comparata, feci qvantum inter laboris scholastici turbas, & subinde seqventem langvorem corporis licuit. Nos vero gratias agimus Divino Numini, qvod nos e potestate Pontificis eripuit, & in lucem filii sui collocavit. Gratias ipsi agimus, qvod Confessores veritatis nobis excitavit, idqve simul rogamus, ut sanctissimum veræ religionis depositum nobis & posteris nostris clementissime conservet. Vt interea gratum pro tam insignibus beneficiis animum etiam publice testatum faciamus, qvidam etiam ex nostris, anno hoc seculari prodibunt, nomen Domini publice qvoqve celebraturi. Materiam de Confessione veritatis pertractabunt ordine seqventi:

1. JO. FRIDERICVS SCHOENER, *Giesbübelensis Misnicus*, qui *de Jesu Christo, coram Pontio Pilato pulchram confessionem testificante* dicet.


2. CAROLVS AVGVSTVS NAEVIVS, *Dresdensis, laudes Confessorum Augustanorum* percensebit.

3. JO. GODOFREDVS GRILL, *Radeburgensis Misnicus, de Confessoribus Ecclesiæ veteris* aget.

4. JO. GEBAVER, *Selingstadio Misnicus, Confessionem veritatis semper esse necessariam* ostendet.

Has

Has igitur orationes ſeculares ut ſua præſentia ornare velint Mæcenates, ac ſtudiorum Scholarumqve Fautores, humanisſimis ipſos verbis invitamus, optantes ſimul, ut hoc inſtans feſtum Jubilæum omni piæ mentis gaudio, læti ac felices, concelebrent. P. Dresdæ DOMINICA COENÆ MAGNÆ, anno ſeculari, clↄ lↄ cc xxx.



§. XVI.

Et hæc qvidem brevibus de materia, qvam mihi tractandam proposui. Qvæ si non ad cujusqve legentis palatum erit comparata, feci qvantum inter laboris scholastici turbas, & subinde seqventem langvorem corporis licuit. Nos vero gratias agimus Divino Numini, qvod nos e potestate Pontificis eripuit, & in lucem filii sui collocavit. Gratias ipsi agimus, qvod Confessores veritatis nobis excitavit, idqve simul rogamus, ut sanctissimum veræ religionis depositum nobis & posteris nostris clementissime conservet. Vt interea gratum pro tam insignibus beneficiis animum etiam publice testatum faciamus, qvidam etiam ex nostris, anno hoc seculari prodibunt, nomen Domini publice qvoqve celebraturi. Materiam de Confessione veritatis pertractabunt ordine seqventi:

1. JO. FRIDERICVS SCHOENER, *Giesbübelensis Misnicus*, qui *de Jesu Christo, coram Pontio Pilato pulchram confessionem testificante* dicet.

2. CAROLVS AVGVSTVS NAEVIVS, *Dresdensis, laudes Confessorum Augustanorum* percensebit.

3. JO. GODOFREDVS GRILL, *Radeburgensis Misnicus, de Confessoribus Ecclesiæ veteris* aget.

4. JO. GEBAVER, *Selingstadio Misnicus, Confessionem veritatis semper esse necessariam* ostendet.

Has

Has igitur orationes ſeculares ut ſua præſentia ornare velint Mæcenates, ac ſtudiorum Scholarumqve Fautores, humanisſimis ipſos verbis invitamus, optantes ſimul, ut hoc inſtans feſtum Jubilæum omni piæ mentis gaudio, læti ac felices, concelebrent. P. Dresdæ DOMINICA COENÆ MAGNÆ, anno ſeculari, clↄ Iↄ cc xxx.

